

lumen civitatis: ad paternam enim magnitudinem animi
 doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus,
 si infirmi sunt aliquando, cum ne id quidem adolescentes
 effugere possint? Résistendum, Laeli et Scipio, senectuti est,
 ejusque vitia diligentia compensanda sunt: pugnandum,
 tamquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda
 ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis: tantum
 cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non oppri-
 mantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti,
 atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tamquam
 lumini oleum instilles, extinguntur senectute. Et corpora
 quidem defatigatione, et exercitatione ingravescunt: animi
 autem exercitando levantur. Nam quos ait Caecilius *comicos*
stultos senes, hoc significat credulos, oblivious, dissolutos:
 quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae,
 somniculosae senectutis. Ut petulantia, ut libido, magis
 est adolescentium, quam senum; nec tamen omnium
 adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia
 (quae deliratio appellari solet) senum levium est, non
 omnium. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam
 domum, tantas clientelas Appius regebat et senex, et
 caecus. Intentum enim animum, tamquam arcum, habebat,
 nec languescens succumbebat senectuti: tenebat non modo
 auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi,
 verebantur liberi, carum omnes habebant. Vigebat in illa
 domo patrius mos, et disciplina. Ita enim senectus honesta
 est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini
 emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur
 in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic
 senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui
 sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit.
 Septimus mihi Originum liber est in manibus: omnia anti-
 quitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascumque
 defendi, nunc quam maxime conficio orationes: jus augurum,